


3/2003

KALENDIS OCTOBribVS

MMIII



TOMVS 26

FASC. 149

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA,
in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est,
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annum):

In Helvetia	CHF	27.-
In ceteris Europæ terris	EUR	18.-
In terris trans maria sitis	US\$	30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus
publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum
editoriam: RVMOR VARIVS,
C/o EDITIONS DU LAC

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA
HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC heraus-
gegeben. RVMOR VARIVS est publié par la
SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU
LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6
fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement
(jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse CHF 27.-

Europa/Europe EUR 18.-

Uebersee/outre-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/Impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hoc quoque anno conventus collegii redactorem RUMORIS VARII factum est. Die 20° mensis Septembris Stella Gitta, Udalricus Aeschlimann Martinusque Meier convenerunt Bernam in tabernam pulcherrimam, cui nomen 'Grock'. (Quos in imagine in horto amoeno tabernae facta videntis). Maxime dolendum erat, quod ceteri socii sociaeque officiis necessariis inevitabilibusque impediti adesse non poterant. Tamen Christine Meier et Daniel Weissmann telephonice suas sententias dixerunt et ita conventui quasi 'absentes praesentes' interfuerunt.

De difficultatibus praesentibus colloquebantur: Variis de causis libellus primus et secundus huius anni nondum edi potuerat. Varia deliberata sunt, etiam – horribile cogitatu! - quaesitum est, num editionem RUMORIS VARII omittendum esset. Sed nolite timere, cari legentes! Maiori parti sociorum placuit libellum nostrum edere pergere, imprimis propterea, quod libelli 1/2003 et 2/2003 ad typis mandandum parati erant.



Itaque nuper libellum primum et secundum tandem accepistis, et nunc tertium iam manibus tenetis!

Nolite oblivisci argumenti libelli 5+6/2003 propositi: Europa!

Maximas gratias pro patientia et tolerantia vestra, cari legentes, vobis agimus!

Valete!



Daniel Weissmann



Proverbia Hispanica

El rico sólo ayuda a quien le adulata.

Dives eum solum adiuvat, qui ei adulatur.

*

Entre salud y dinero salud quiero.

Eligens aut bonam valetudinem aut pecuniam,
bonam valetudinem preefero.

*

Por la boca muere el pez.

Bucca piscis moritur.

*

La oración breve sube al cielo.


Oratio brevis ad caelum ascendit.

*

In Latinum vertit Daniel Weissmann



Multa experientia et doctum et prudentem hominem facit. Inde fit ut senes doctiores sint, saltem ratione experimenti, rebusque humanis propterea gerendis accomodatores iuvenibus, a pluribusque ea ratione gentibus maximo in honore habiti.



brevi tempore alter discat sicque consultum est nostri saeculi hominibus, qui plurim vivas, acta, inventa, expertaque pauca mora perlegentes, aliquid de suo insuper addunt, hisque alii.
Itaque augetur ars.

Estelle GITTA



Proverbia Hispanica



Preguntando se aprende.

Rogando discitur.

*

Corazón apasionado no quiere ser aconsejado.

Ardens cor consilia accipere non vult.

*

Más vale hombre sabio que hombre fuerte.

Homo prudens et sapiens magis valet quam homo robustus.

Mes de flores, mes de amores.

Mensis florum, mensis amorum.

*

Desde que no nos vemos, no nos conocemos.

Ex quo nos non videmus, nos non agnoscimus.

*

Libro prestado, libro perdido.

Liber commodatus, liber amissus.



Para pasar el agua y dar dinero, nunca seas el primero.

Aquam transiens et pecuniam dans numquam primus sis.

*

No hay año sin desengaño.

Non est annus sine spe erepta.

*

Entre dos que se quieren bien, con uno que coma basta.

Inter duos, qui se bene amant, uno edente satis est.

*

La vida, cuanto más vacía, más pesa.

Eo magis vita oneri est, quo magis inanit.



Todos somos locos, los unos de los otros.

Nos omnes amentes sumus, alii ex aliis.

*

Todos los duelos con pan son buenos.


Omnis dolores pane boni sunt

*

A pregunta necia, dissimulada respuesta.

Responsum dissimulatum interrogationi stulta.

*



Quien de ajeno se viste, en la calle lo desnudan.

Alieno qui se vestit, in via nudatur.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

«**QUIS DIVES ? QUI NIL CUPIAT**»

Solebat sanctus Bernardus dicere novicium, cum in monasterium intraret, corpus suum extra limen debere relinquere; accipit itaque secundum cartusiae consuetudines cellae incola, ad lectum paleam, filtrum, pulvinar, cotum vel coopertorium de grossissimis ovium pellibus, et panno rustico coopertum. Ad vestitum autem duo cilicia, duas tunicas, duas pellicias, unam deteriorem, alteram meliorem, duasque similiter cucullas, tria paria caligarum, paria pedulium quatuor, pelles, capam, sotulares nocturnos et diurnos, sagimen quoque ad ungendum, lumbaria duo, cingulum, omnia cannabina et grossa. Et quidquid prorsus ad lectum vestitumve pertinet, cuius grossitudinis colorisve sit, non curabit. Cum enim ad omnes monachos tum maxime ad nos humilitatem attritionemque pannorum et universorum quibus utimur vilitatem, paupertatem et abiectionem certus est pertinere. Habet etiam acus duas, filum, forfices, pectinem, novaculam ad caput, cotem vel calcum, et corrigiam ad acuendum.

Ad scribendum vero, scriptorium, pennas, cretam, pumices duos, cornua duo, scalpellum unum, ad radenda pergamenta, novaculae sive rasoria duo, punctorium unum, subulam unam, plumbum, regulam, postem ad regulandum, tabulas, grafium. Quod si frater alterius artis fuerit, quod apud nos raro valde contingit, omnes enim paene quos suscipimus, si fieri potest scribere docemus, habebit arti sua instrumenta convenientia.

Et quia sicut caeteras necessitates quae ad vilitatem et humilitatem pertinent, coquinam etiam ipsi nobis facimus, dantur ei ollae duae, scutellae duae, tertia ad panem, vel pro ea mantile. Quarta grandiuscula est ad faciendas mundicias, coclearia duo, cultellus ad panem, iusta, scaphus, vas aquarium, salario, patella, duo ad legumina sacculi, manutergium. Ad ignem focile, esca, lapis ignitus, ligna, securis. Ad opera vero dolabrum. Idcirco enim uni tanta concedimus, ne exire de cella compellatur.

Atque ita quidem se sanctus vir ipse gerebat. Namque usque eo mortificatos habebat sensus, ut ea quae obversarentur oculis non iam cerneret. Cum se in eam consuetudinem iamdiu adduxisset, ut palati voluptates minimi faceret, omne iam apud eum saporis acumen extinctum erat. Itaque et omnia sine ullo delectu edebat, et aquam aut oleum, prout alterutrum erat in promptu, omni discrimine remoto bibebat. Adeoque panis quo vescebatur amarus erat, ut nihil magis eum timere appareret quam si voluptatem aliquam suo corpori dedisset.

Praeterea quibus solitudo horridior videbatur, eis taetras illas tenebras exteriores memorabat dentiumque stridorem aeternum. Quod si quis diuturnum illud horrendumque silentium asperius ducebat, hos admonebat, si diligenter considerassent quam acriter Magnus ille Iudex sermones perpensurus esset, fore ut facilime silerent.



Corporis valetudinem cum ipse fere non curaret, magnam in hac re molitiem hominum vehementer increpabat, qui sese immortales facere cuperent, adeo effrenata in iis vitae cupiditas esset; se vero infirmitates suas in poenitentiae exercitationibus ponere. Ut saeculi luxuriae adversa-
retur, caelum quoddam humidum et pestiferum ad sedem constituen-
dam eligere solebat, ut non tam aeger quam imbecillus esset; religiosum autem tum existimabat sanum esse, cum tantum valeret ut canere et psallere posset.

Estelle Gitta

DE CINERENTULA FABELLA

Roald Dahl

REVOLTING RHYMES

**Versiculi Horribiles
a Francisco Schlosser
Rhenano-Palatinensi
in sermonem Latinum conversi
imagunculisque lepidis exor-
nati**

Fabellam haud novistis, quia
haec accidit alia via.

Fabella nota omnibus
infantilis antiquitus
inepta est et stultula
et simplex et innoxia.

Correctast autem pars, in qua
sorores (Cinerentula
in cella clausa, qua in cella
situ corrupta, putidella
arrosa est impavidis
a rassis cibi avidis)

saltatum irent splendidam
in magnam domum regiam.



*Quanam hi sunt mures?! Summus mus,
summa iniuria!*

Lamentabatur parva. Quam
audivit maga miseram.
"Quid agitur?" quaequivit e
iuvencula sollicite.

Et parva: "Vae! Vae! Omnia
miserrima sum virginum!"

Tum murum pugnis tractans: "Me
ad regiam fer propere!"
clamavit. "Discogaudio (1)



*Diva ex machina virga divina praedita
Cinerentulae auxilio succurrit.*

Raeda et veste opus mi,
bracchiali admirabili,
inauribus argenteis,
crepidis, bracis calidis (2).

Me certe ducet regulus
comptam pretiosis vestibus".

Tum maga: "Torquens virgam illam
iuvabo parvam te pupillam."

In domo magna principis
pupa momento temporis.

Quae fecit ingentissimam
sororibus invidiam
complectens dulcem hominem
iucundum, blandum, divitem.

Qui est amore lepidae
incensus Cinerentulae.

Amare et sapere vix
deo conceditur.



*En Cinerentulam cum principe saltantem! Qui eam eleganter manu ducit.
Soror ex noverca suscepta separatim,
more iuvenum nostrorum dierum (ut
fit in speluncis saltatoriis discothecis
(3) appellatis), choream dat.*

Quae media nocte subito
dixit: "Abire debo!"

Sed regulus: "Non sino te
abire! Numquam! Minime!"

Vestem retinuit. Amata
puella fugit denudata.
In gradibus argenteam
amisit suam crepidam.
Quam pressit incompositus
ad pectus regis filius.

"Me iungam cum iuvencula,
cui bene sedet crepida.
Scrubabor totum oppidum,
quoad reperiam corculum."

Quo dicto eius crepidam

imposuit in cistam. Quam confestim soror pustulata parvis furunculis vitiata coniecit cito, furtim, clam in cellam dictam intimam. In capsam suum dexterum imposuit "calceolum". Fortuna, ut videtur, vae, haud favet Cinerentulae!



Soror ex noverca suscepta crepidam Cinerentulæ in cellam intimam submergit

Pulsavit cuncta ipsa re vir ostia postridie. Eresctast exspectatio: Quis potest uti calceo? Qui nimis latus calceus, haud aptus rectis pedibus. Neque odore is carebat, sed pedem foetidum olebat. (4) Quem sunt expertae plurimae oppidi frustra filiae.

Sororum inducendi tum fuerunt partes calceum.



Soror mala calceum sibi inducit

Tum minor: "Sedet bene! Me nunc ducere opportet te!" Sed princeps clamitavit: "Di avertant hoc, ocelle mi!" "Tu promisisti, mendax, me ducturum esse publice!"

Haec verba audacissima capite luit femina. Clamavit princeps: "Pustulata pulchrior calva amputata!"

Voluit maior natu tum inducere hunc calceum. Sed princeps huic cucurbitam taetram abscidit etiam. Huc illuc caput est volutum in solo sanguine imbutum.

O trunce! Qui hic est mos puellæ caput detruncandi?!



*A regule, regule, quae te dementia cepit!
Princeps ira incensus puellæ caput gladio detruncat.*

Audivit Cinerentula hoc volvi, bona olera quae coquinabat, brassicam.

Pandit culinae ianuam. "Quid vult id sibi?!" exclamavit.

"Id tua nil refert!" tonavit vox saeva regis filii.

"Num nubam tali viro, qui", puella inquit, "capita detruncet muliebria?"

Et regis filius: "Quisnam illa exspiratura est mamilla?!"

In ipsa morte maga bellae auxilio venit iuvencellae.

Quae virgam vibrans dixit: "Rem, quamcumque optes, tibi dem!

Ut meministi, virgula haec mira est et magica." Et parva: "Bona maga, me nunc caute geram, callide. Me capit taedium nummorum, satietas principum stultorum! Cupio nubere modesto, integro viro non scelesto."

Iam paulo post Cinerentella bono plebeio nupsit bella. Decocta poma is vendebat, victum mulieri praebebatur. Ita ridebant, gestiebant, laute perpetuo vivebant.



Cinerentula sponsum amplexatur et osculatur. Verus amor nullum novit habere modum.

ANNOTATIONES

- (1) Discogaudium: gaudium, quo pueri puellaeque in speluncis saltatoriis versantes afficiuntur.
- (2) Bracellae Cal(i)dae: bracae brevissimae, quarum adspectu iucundo virorum oculi pascuntur sensusque quasi titillantur.
- (3) Discotheca: spelunca saltatoria, qua in spelunca musica discophonica dicta resonante pueri puellaeque aetatis instrumentorum computatoriorum more hircorum seu hippopotamorum modo huc, modo illuc circumstiliunt, coca-colam sorbent, colloquia ingenii acuminis valentia, habent.
- (4) Sunt, qui pedes multo sudore fluentes habent. Pecunia, ut scimus, minime olet, olent pedes!

CANTICA

A „SCARABULSANTIBUS“ LINGUA ANGLICA „BEATLES“ APPELLATIS COMPOSITA, A FRANCISCO SCHLOSSER LATINE REDDITA



I Wanna Hold Your Hand

Tibi aliquid edico,
fortasse tenes me;
hoc aliquid edico,
qui manu ducam te,
qui manu ducam te,
qui manu ducam te.

Fio beatus cum te tango,
melculum,
amore tui quod incensus,
captus sum,
captus sum,
captus sum.

Amator tuus esse
cupio maxime,
amator tuus esse,
qui manu ducam te,
qui manu ducam te,
qui manu ducam te.

Fio beatus . . .

Tu sola es lux mea,
fortasse tenes me;
tu sola es lux mea,
qui manu ducam te,
qui manu ducam te,
qui manu ducam te.

All My Loving

Ultimum te basiabo.
Cras procul migrabo.
In fide manebo tui.
Litteras peregre
saepe mittam ad te,
meum cor mittam, anime mi!

Mittam meum cor, anime mi.
Fidem colam, melculum, tibi.

Claude os tam amatum
frequenter basiatum.
In fide manebo tui.
Litteras peregre
saepe mittam ad te,
meum cor mittam, anime mi!

Mittam meum cor, anime mi.
Fidem colam, melculum, tibi.

Quis sit vir vere civilis



Fortuna suffragante...

(SLL = Semper Latine loquere)

acrius affecte quidquid senserunt extra se magna vi proferre solent; ita ut, mechanico quodam impulsu, suum in alios ardorem atque affectus transfundant. Corpus scilicet ipsum cum corpore loquitur; omnes motus, omnes nutus conspirantes ad rem eamdem pertinent. Quid enim ad commovendam aliciendamque multitudinem valet? Quid ad plerosque etiam ceterorum hominum impellendos? ad fidem iis faciendam? Vox vehemens ac fervida, vividi crebrique corporis motus, incitata verba ac sonantia. Sed, ut paucos illos commoveas, quorum et animus firmus et iudicium acutum et sensus exquisitus est, quique vocem, gestum, vanum verborum sonum parvi ducunt, res, sententiae, rationes adhibendae sunt; quas quo modo melius proponas et distinguas et ordines perspiciendum est: nec ferire aures aut occupare oculos satis est, sed et animum movere et praecordia tangere oportet, simul atque mens verbis

«Vir bonus, dicendi peritus», Cicero ait. Quamquam omnibus temporibus fuerunt qui, valentes in dicendo, aliis imperare possent, tamen plerique eorum qui praeclaras volunt habere orationes verborum splendorem omnibus locis pariter, nullo habitu delectu, quaerere solent: omnia se fecisse putant, dum magna verba et sententias inanes velut in acervo quodam congesserint. Nec quidquam aliud cogitant nisi ut ornamentis orationem onearent. Vera autem eloquentia, cum et ingenium exercitatum et mentem doctrina excultam requirat, longe quidem abest ab ingenita ista loquendi facilitate quae, cum nihil aliud nisi naturae dos quaedam ac virtus esse videatur, omnibus iis impertita est, quibus et affectus vehementes et vox flexibilis et animus in excogitando promptus est. Illi enim, ut sensibus, sic animis

ipsa detineatur.

Evidem virum gravem quaero, qui me causa mea, non sua alloquatur, qui saluti meae, non falsae suae gloriae consulat. Is enim auribus hominum dignus est, cuius verba sententis, sententiae veritati virtutique serviunt. Nihil autem magis spernendum est quam si quis orationum institor eodem modo verbis utitur quo medicamentis circulator.

Qui vere civilis vir est et egregia mente praeditus et per doctrinam omni genere scientiae quod homini sapienti eidemque iucundo necessarium sit ornatissimus; cui tanta innata est carminum componendorum facultas ut versus faciat quos Baudelaire vel Novalis vel Byron vel Homerum pro suis agnoscere non pudeat si ad lumen redeant; ei tamen non mentis tantum splendorem laudi tribuere volo, quamquam mira illa mens tanta alacritate tantoque ardore fulget ut facere non possit quin eluceat iis temporibus ipsis quibus vir vere civilis eam obscurari malit. At civilis viri potior mente animus: nam tam singulari est ingenuitate ut ne audivisse quidem unquam videatur dissimulationem in terris esse. Quae vera sunt ea sine timore fucoque adfirmat ac fortiter defendit: qui ad iustitiam sustinendam ne ira quidem abstinere soleat, si aliter fieri non potest, eaque humanitate sit quae primorum temporum innocentiam redoleat...




Nullum habet patrocinium

Estelle Gitta

Aenigma

Natura cauti providique, sed si quid proponebatur lucri, impigri et audaces, nec religionibus impediti, nec quid de se homines sentirent curantes, prout tempus ferebat aut pertinaces aut faciles, quidquid tulerat casus in utilitatem vertentes, mercatura priscis illis temporibus ceteris iam ante Graecos praestiterunt populis. Primi enim omnium illas inter gentes mercium permutationes videntur instituisse, a quibus coepitus est et quasi illucescit politior inter homines usus. Qui sunt?

Primae litterae animalium, ordine servato, tibi solutionem tradent.



SOLUTIONES (RV 2/03)

Per ellipsem dictum: Maximum remedium irae mora est.

Nunc bibendum...: Accessit ad calamitatem nostram quod Graecorum vinum ob picis taedae gypsi commixtionem nobis impotabile fuit domus ipsa erat inaquosa nec sitim saltem aqua extinguere quivimus quam data pecunia emeremus".

Estelle Gitta

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS ("Romulus der Große") comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Comoediae pars undecima

PYRAMUS: Mōnin êeide, yeā - ego Homerum!

ACHILLES: Quacumque ratione pro certo habeo tempus nunc incipiens fore formidulosum.

PYRAMUS: Medium aevum vere obscurum. Nolo esse *pessimista, sed persuasum mihi est: genus humanum e calamitate hodierna numquam recreatumiri.

Romulus toga imperiali et corona laurea indutus appetet.

ACHILLES et PYRAMUS: Salve Caesar.

ROMULUS: Salvete. Retardatus sum. Frequentia audientiarum inexpectata fatigatus eram. Hodie bene mane adhuc somniculosus vix potui athletam transscendere adhuc ante lectum meum dormientem. Nocte praeterita plus civitatem gubernavi quam toto spatio viginti annorum, quo imperavi.

ACHILLES: Certe, Maiestas.

ROMULUS: Miror, quantum sit silentium. Quam vastum silentium. Omnia videntur derelicta esse.

Silentium.

ROMULUS: Ubi est Rea filia mea?

Silentium.

ACHILLES: Principissa –

PYRAMUS: et Aemilianus –

ACHILLES: et Imperatrix –

PYRAMUS: administer rerum domesticarum, mariscalcus regni, coquus ceterique omnes –

Silentium.

ROMULUS: Quidnam?

ACHILLES: Omnes rate in Siciliam transnavigantes submersi sunt. Mari abluti sunt.

PYRAMUS: Piscator quidam nuntium attulit.

ACHILLES: Solus Zeno una cum camerariis suis vitam suam servare potuit nave actuaria Alexandriam vectus.

Silentium. Imperator manet tranquillus.

ROMULUS: Filia mea filiusque meus Aemilianus.

Aspectat ambos camerarios.

ROMULUS: Non video lacrimas in oculis vestris.

ACHILLES: Sumus senes.

ROMULUS: Mihi autem moriendumst. Germani me necabunt. Etiam hodie. Itaque nullo iam dolore afficior. Moriturus mortuos non deflet. Animus meus numquam firmior, numquam hilarior fuit quam nunc, ubi omnia sunt finita. Afferte cibos matutinos.

PYRAMUS: Ientaculumne?

ACHILLES: At Germani, Maiestas, Germani maturime -

PYRAMUS: Necnon respiciendus est luctus Imperii publicus.

ROMULUS: Gerra. Non iam exstat Imperium, quod lugeri possit. Ego ipse sic interire volo ut vixi.

PYRAMUS: Ut iubes, mi Imperator.

Romulus considit in sessibulo in proscenii media parte posito. Pyramus affert parvam mensam, in qua sunt res Imperatori solitae. Imperator cogitat aspectus escaria ientaculi.

ROMULUS: Quare mihi ultimum ientaculum habituro attulisti detritos istos catinos lameos, lancem istam fere diffractam?

PYRAMUS: Escaria imperialia ablata erant ab Imperatrice. Erant possessa patris Imperatricis.

ACHILLES: Quae nunc sita sunt in fundo maris.

ROMULUS: Nil refert. In diludio cum comedam magis conveniunt escaria vetusta.

Pulsando ovum aperit.

ROMULUS: Scilicet Augustus iterum non peperisse.

Pyramus Achillen aspicit ope indigens.

PYRAMUS: Non peperit, mi Imperator.

ROMULUS: Tiberiusne?

PYRAMUS: lulii non pepererunt.

ROMULUS: Nonne Flavii?

PYRAMUS: Domitianus. At istius ova Maiestas tua expressis verbis comedere non desiderat.

ROMULUS: Hoc ovum cuius est?

Applari exedit.

PYRAMUS: Marci Aurelii, ut solet.

ROMULUS: Praeter eos alius peperit?

PYRAMUS: Odoacer.

Aliquatenus eum pudet.

ROMULUS: Ecce.

PYRAMUS: Tria ova, Maiestas.

ROMULUS: Attende, haec gallina hodie plura pariet quam umquam antea.

Maiestas lac bibit.

ROMULUS: Quid estis animis tam sollemnibus?

ACHILLES: Per viginti annos nunc serviimus Maiestati tuae.

PYRAMUS: Et viginti annos Maiestatis tuae praecessoribus.

ACHILLES: Per sexaginta annos perpessi sumus paupertatem amarisimam, ut serviremus potestati imperiali.

PYRAMUS: Omnis raedarius meritorius maius salarium accipit quam camerarius

imperialis. Oportet hoc aliquando dicatur, Maiestas!

ROMULUS: Hoc concedo. Sed considerate, quaeso, raedarium meritorium plus

pecuniae accipere quam Imperatorem.

Pyramus Achillen aspectat opem rogan.

ACHILLES: Caesar Runcina fabricator bracarum nobis praebuit munera camerariorum in villa sua Romana officia gerentium.

PYRAMUS: Quattuor milia sestertium in anno et tres vacationes postmeridianas in septimana.

ACHILLES: Quibus muneribus fungentes vacabimus commentariis scribendis.

ROMULUS: Condiciones sunt phantasticae. Estis liberi.

Coronam lauream deponit et utriusque unum dat folium.

ROMULUS: Duo folia ultima coronae meae aureae. Haec est etiam actio ultima gubernationis meae.

Audiuntur clamores bellici.

ROMULUS: Qualis strepitus est?

ACHILLES: Germani, Maiestas! Germani venerunt!

PYRAMUS: Desideratne Maiestas fortasse gladium imperiale?

ROMULUS: Num idem nondum est venditus?

Pyramus Achillen aspectat opem rogans.

ACHILLES: Qui est ferrugine obsitus, et lapides Imperii pretiosi evulsi sunt ab ipsa Maiestate tua.

PYRAMUS: Estne afferendus?

ROMULUS: Gladii imperiales, mi care Pyrame, maxime oportet in angulo relinquantur.

PYRAMUS: Finivitne Maiestas tua ientaculum?

ROMULUS: Paululum infunde vini asparagi.

Pyramus tremens infundit.

ROMULUS: Licet abeatis. Imperator vobis non iam eget. Fuistis camerarii nulla vituperatione digni.

Ambo timide abeunt. Imperator bibit caliculum vini asparagi. E recessu venit Germanus. Qui se movet libere et secure. Videtur esse prudens, praeter bracas ei nihil est barbaricum. Aspectat grapheum, quasi amulet per museum, interdum aliquid notat in diario e pera coriacea sumpto. Bracatus est, vestem gerit laxam levemque, petasum latam, quae omnia praebent aspectum prorsus imbellem, excepto gladio, quo est cinctus. Germanus quasi forte inter ceteras res conspicit Imperatorem. Unus alterum aspectat stupefactus.

GERMANUS: Ecce Romanus!

ROMULUS: Salvus sis.

Illum aspectat vultu dubio.

Comoediae pars duodecima in proximo libello
sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: -----

Unterschrift: -----

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

3/2003

KALENDIS OCTOBribVS

MMIII



RVMOR VARIVS

A circular emblem with a laurel wreath. Inside the wreath, the name "RVMOR VARIVS" is repeated twice. At the bottom of the wreath, the text "AD IVIC" is written.

TOMVS 26

FASC. 149